



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

Fridericvs I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

*Ecclesie Legato, summi Pontificis, ac totius Romani populi, vrbiumque Italia assensum promittente 94. ab Augusto Regem creant. Quis mox ad Palatium Aquis veniens à prædicto Cardinale (nam Coloniensis qui id facere iure debuerat, nouiter inthronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Treuirensi Archiepiscopis cum cæteris Episcopis, in Regem vngitur. Idem refert Dodechinus ad an. 1138. sed audiamus quod ab Ottone Fris. ibidem mox additur: At Saxones; & Dux Henricus alijque qui electionem non interfuerant, regem non legitime, sed per surreptionem electum calumniabantur: Quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis Curia Babenberg indicitur.*

*Eandem historiam idem profequitur in gestis Frider. I. Imp. lib. 1. cap. 22. Et per omnia dicit eadem Conr. Abbas Vrsp. ad an. 1139.*

---

## FRIDERICVS I.

**C**ONRADO defuncto successit Fredericus I. dictus à barba rufa AEnobarbus, vel Barbarossa, cuius electionem grauisimus Author Otto Frising. dicti Friderici Imp. patruus lib. 2. de gestis Frid. Imp. capitulo I. quod breue est, ideoque integrum huc transcribam, enarrat.

*Anno ab Vrbe condita MDCCC. ab Incarnatione verò Domini MCLII. decedente ab hac luce ver-*

te vernali tempore, id est sexta feria proxima,  
 (vt dictum est) post caput ieiunij in ciuitate Baben-  
 bergensi pijsimo Rege Conrado III Nonas Mar-  
 tij, id est, tertia feria post Oculi mei, in Oppido  
 Franconesfurt, de tam immensa transalpinu regni  
 latitudine, vniuersum (mirum dictu!) principum  
 robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus,  
 tanquam in vnum corpus coadunari potuit. Vbi  
 tum de eligendo Principe primates consultarent  
 (nam id iuris Romani Imperij apex, videlicet non  
 per sanguinis propaginem descendere, sed per  
 Principum electionem Reges creare sibi tanquam  
 ex singulari vendicat prerogatiua) tandem ab  
 Omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici  
 Ducis filius petitur, cunctorumque fauore in Re-  
 gem sublimatur. Capitibus 2. & 3. eandem ele-  
 ctionem, & quæ secuta est eiusdem Friderici  
 consecrationem, ac coronationem pluribus  
 prosequitur. Et quidem ca. 2. in inscriptione  
 continetur Ratio, quare in eum tam facile consen-  
 serit vniuersitas Principum. Urspergensis ad an.  
 1152 breuiter de illo, Fridericus, inquit, huius  
 nominis primus, 91. loco ab Augusto Regnum acce-  
 pit magis ex delegatione Patris sui (Conradi) quã  
 ex electione Principum. Sed familiarius, & ve-  
 rius nemo rem nouit, quã qui & ipse patruus  
 eius fuit prædictus Otto. Ille cap. vltimo lib.  
 1. de gestis Frid. de obitu Conradi refert, quo-  
 modo moriens Regalia huic Friderico Fri-  
 derici fratris sui filio comédarit, eum ob multa

virtutum suarum clara facinora, filio proprio, Friderico, puerulo adhuc præferens propter maius bonum Reipubl. *Erat enim, inquit, tanquam vir prudens de filio suo adhuc paruulo, ne in Regem sublimaretur, desperatus idcirco & priuata & reipublica melius profuturum iudicabat, si is potius, qui fratris sui filius erat ob multa virtutum suarum clara facinora sibi succederet.* &c. Porro primogenitum suum Henricum ( duos enim hos tantum filios habuit ) iam ante expeditionem Asiaticam penè puerum in Regni successorem eligi, & coronari procurauerat, quod more tunc consueto peractum fuit, qui ante reditum patris è vita emigravit, de quo Otto Frising. lib. 1. de gestis Frid. I. cap. 43. sic ait: *At Conradus Romanorum Rex Principes conuocans in oppido Orientalis Franciæ Franconesfurt ( quod latinè vadum Francorū dici potest, èd quod Carolus ad debellandos Saxones cum Francis proficiscens vadum illo Mogi fluminis qui Moguntia Rheno illabitur, inuenisse dicitur ) generalem curiam celebrat: ibique filio suo Henrico adhuc puero per electionem Principum rege constituto, in Palatio Aquis eum Dominica medianæ Quadragesimæ regem inungi, & coronari iubens, regni participem legit.*

HENRI.